

www.e-rara.ch

Monumenta Anecdota Historiam Germaniæ Illustrantia

Zapf, Georg W.

Augustæ Vindel., MDCCLXXXV

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ri 224 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66465>

IV. Reflexiones in chartam traditionis Cellae Albae, quae nunc nomen sancti Blasii sortitur.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IV.

REFLEXIONES

IN

CHARTAM TRADITIONIS

CELLÆ ALBÆ,

QUÆ NUNC NOMEN SANCTI BLASII

SORTITUR.

1871

1871

1871

1871

1871

1871

W. J. ...

RETELIXIONE

IN ...

CHARTAM TRADITIONIS

CEPHE ALBAE

QUE NUNC NOMEN SANCTI BASILII

SORTITOR

...

...

...

...

...

...


...

...

...

...

...



 Charta

ex Chartulario Num. V.

ad Annum 858.

In Nomine Dei Summi. Vir quidam Nobilis nomine *Sigemar* sub Confirmatione tradidit ad Monasterium *Rinaugia Cellam*, quæ dicitur *Alba*, quæ sita est in pago *Alpigowe*, ad stabiliendum inibi servitium *S. Mariæ*, pro semetipso & filio suo nomine *Liuthere*, annuente Domino *Wolvene* ejusdem loci hereditario Tutore, sub Rege *Ludowico*, Anno I. *Nicolai* Papæ.

Reflexio I.

De Authoritate hujus Chartæ.

Nullum superest antiquius Monumentum, in quo occurrat mentio *Cellæ Albæ*, præter hanc Chartam; de cujus veritate hætenus eo minus dubitatum est, quod contenta inibi Traditio in Authographo Diplomate Ludovici Germanici, eodem tempore dato, cum Sigillo elegante, confirmata reperiatur. Id quidem a nonnullis in dubium vocatum fuit, utrum scilicet præsens Charta ipsum Traditionis Instrumentum referat, an vero simplex tantum rei gestæ recensio sit. Etenim Authographum injuria temporum periit, cujus loco superest duntaxat Transumptum in veteri Chartulario Sæculi XI. quod ultra quinquaginta Diplomata, Chartasque Rhenaugienfes accurate descriptas continet. De authoritate porro ejusmodi Chartulariorum differere, hoc loco supervacaneum duco; eo quod noster Mabillonius hoc genus argumenti fatis superque ventilaverit (a). Est nihilominus ratio dubitandi specialis de authoritate præsentis Chartæ; 1^{mo}, quia nomen Pontificis Romani appositum exhibet, quod in Chartis Authenticis sæculi noni nusquam reperitur. 2^{do}, quia *Wolvenus* dicitur *loci hereditarius Tutor*; cum tamen certum sit, quod *Wolvenus* anno octingentesimo quinquagesimo octavo, quo Charta exarata fuit, jamjam abdicato Tutoris munere, Rhenaugiæ Monachum induerit, paulo post eodem anno in Abbatem electus. 3^{to}, quia Vir Nobilis *Sigemar*, *Albæ Cellæ Dominus*, non in prima & propria, ut in plerisque Traditionum Chartis fieri assolet, sed in tertia persona loquens seu tradens inducitur: *Vir quidam Nobilis nomine Sigemar tradidit &c.*

U u u 3

Verum

(a) De Re Diplom. Lib. III. Cap. V.



Verum enim vero rem altius inspicienti omnia plana sunt; nam 1^{mo} Nomen Pontificis non ipsi Authographo, sed ejus Transumpto a nostro Chartularii Compilatore motu proprio fuit appositum. Quem morem Vir probus & eruditus in plerisque Chartis ac Diplomatum, a se transumptis, constanter observavit; quamvis in ipsis Originalibus, quæ adhuc extant, Pontificum Nomina non sint expressa. 2^{do} Quamvis Wolvenus non fuerit *Tutor* tempore Traditionis per Chartam conscriptæ, fuit tamen *Tutor* tempore Traditionis viva voce factæ & acceptatæ; cum ergo Charta seriem facti viva voce peracti autoritate publica attestetur: hinc ad actum firmandum ille *Tutor* exprimi debuit, qui primævam Traditionem acceptavit, & acceptando roboravit; ut, quod gratuito fuerat traditum, jamjam perpetuo foret Monasterio appropriatum. 3^{io} Nil interest, an Notarius, qui Chartam scripsit, prima aut tertia persona usus fuerit; qui etiam suo proprio nomine scribere potuit. Licet enim Chartæ, quæ in tertia persona loquuntur, *Recensiones* seu *Notitiæ* a Rei Diplomaticæ Commentatoribus vocentur; non ideo tamen omnes sunt privatæ, neque publica autoritate desitutæ, prout eruditissime annotant Patres Benedictini Congregationis S. Mauri (b) qui Chartas pene omnes antiquas usque ad Sæculum IX. publicas esse censendas, docent (c). Jam vero præsens Charta est Sæculi IX.; & profecto nisi majoris quam privatæ autoritatis fuisset, nullum plane locum in Chartulario nostro meruisset, in quo non nisi Diplomata, Bullæ & Chartæ publicæ continentur. Similem *Recensionem* in tertia persona scriptam affert Herrgottus ex Archivio S. Galli (d) quam plures Comites subsignarunt; quod non fecissent, nisi Chartam publicam designassent. Codex quoque Lauresheimensis plures utriusque generis *Recensiones* seu *Notitias* tam publicas, quam privatas exhibet (e) quæ tamen facili negotio discerni possunt.

Accedit, quod Chartularium Rhenaugiense Chartas certo *Publicas*, in tertia persona scriptas, exhibeat. Sic Charta *Engilhardi* ad annum 876. licet in tertia persona proferatur, procul dubio *Notitiis Publicis* adscribitur; prout ab exordio & epilogo ejusdem Chartæ demonstratur. Incipit namque a formula Notariis Publicis assueta in hunc modum: *In Dei Nomine Notum sit multis, qualiter*

(b) Editionis German. Tom. I. §. 345.

(c) Ibidem §. 341.

(d) Geneal. Diplom. Tom. II. pag. 10. ad ann. 786.

(e) Privatæ sunt Num. II. XVIII. XXVIII. Publicæ præsertim Num. CXIX. & MMCCCLX.




liter Engilhart &c. In fine quoque pro Instrumentorum more clauditur: *Actum in Villa, quæ vocatur Bazmundingen Anno XXXVI. Regni HLudovici Regis, die Jovis, sub Comite Adilberto, præsentibus idoneis Testibus quam plurimis.* Qua igitur ratione Charta Sigemari a censu Publicorum Instrumentorum expungi poterit, quæ eodem modo incipit: *In Nomine Dei Summi &c.*; ac in fine exprimit *Regnum Ludovici Regis, qui Traditionem confirmavit, & Consensum Wolveni Tutoris, qui eandem acceptavit; cum e contra Notitiæ Privatæ, omnem pompam negligent, ac simplicem factorum notitiam contineant.*

Unicum nostræ sententiæ refragatur; nempe manus, quæ Chartularium scripsit, non nihil posterior videtur scriptura Codicis Rhenaugiensis sub Num. CCII: quamvis cæteroquin utraque manus ad Sæculum undecimum referatur; unde suspicio oritur, ne forte Chartularii Scriptor Chartam Cellæ Albæ non desumpserit ex ipso authentico Instrumento, sed potius ex Manuscripto citato, quod *Recensionem mere Privatam* exhibet.

Huic autem suspicioni facile occurritur ex maxima utriusque Scripti differentia, quam accurata collatio cum utroque Scripto satis demonstrat. Etenim in Manuscripto mox citato hæc habentur: „Alba Cella, quæ nunc S. Blasii dicitur, videlicet propria fuit cujusdam Viri Nobilis nomine *Sigemar*, quam pro „semetipso & filio suo, cui nomen *Liuthere Monacho*, sub confirmatione tradidit Renaugiæ, ad stabiliendum servitium S. Mariæ, annuente Domino Wolvene ejusdem loci hereditario Tutore.“

Jam quis non prima fronte videat, in quantis Manuscriptum a Charta discrepet. *In primis* Charta more Instrumentorum ab Invocatione Summi Nominis incipit: *In Nomine Dei Summi*; Manuscriptum hac omisso, stylo historico orditur: *Alba Cella propria fuit cujusdam Viri.* *Secundo* Manuscriptum apponit *Albæ Cellæ* recentius nomen, multis post annis a facta Traditione eidem superadditum: *Alba Cella, quæ nunc S. Blasii dicitur.* Charta hoc ipsum omnino tacet, atque adeo suo silentio palam demonstrat, se non esse recentioris Manuscripti pullum, sed antiquioris Instrumenti Transumptum; cui proinde *Blasii* nomen esset incognitum. *Tertio* Manuscriptum Filium Sigemari *Monachum* designat: *Pro Filio suo Liuthere Monacho.* hanc autem vitæ conditionem Charta denuo tacet; cum tamen vel ex ipso Chartulario nostro satis constet, statum Monasticum in Chartis exprimi solitum: consequenter haud alia ex causa hic omissum, quam quod *Monachi* nomen in Authographo Instrumento non fuerit repertum,



pertum, procul dubio, quia Liutherus tempore Traditionis Monasticen nondum erat professus. *Quarto* Charta pro more ac fide Instrumentorum situm rei traditæ innuit: *Quæ sita est in pago Alpigowe*; Manuscriptum vero hæc verba prætermittit. *Quinto* Charta relativum *inibi* exprimit: *ad stabiliendum inibi servitium S. Mariæ*; Manuscriptum hanc particulam, ut redundantem negligit. *Sexto* Manuscriptum peracta narratione historica finem dicendi facit; Charta insuper Regimen Ludovici addit: *Sub Rege Ludowico*. Denique contextus utriusque Scripti est ubique diversus, & quod unum priore loco refert, alterum posteriore loco recenset.

En quanta diversitas in exigua paucarum linearum Charta! Cum autem constet, Scriptorem Chartularii nostri Chartas ex ipsis Authographis Instrumentis de verbo ad verbum diligentissime descripsisse (ut vix ulla diversitas, nisi rarius in sola orthographia appareat, prout conferenti cum Originalibus, quæ adhuc extant, perspicue patet) nullamque omissionem, additionem, aut verborum seu sententiarum transpositionem admisisse; quis credat, eundem hac unica vice hallucinatum esse, aut tantam perfidiam perpetrasse, ut, cæteris intactis, hanc unicam Chartam corrumperet, & quod in reliquis religioni sibi ducebat, hunc unicum locum depravaret? Utique hac unica corruptione toti Chartulario notam pessimam inussisset, ac sibimetipsi fidem publicam abrogasset. Igitur evidenter concluditur, Egregium Chartularii Compilatorem tantæ perfidiæ haud quaquam fuisse capacem, ut præstantem Sigemari Chartam ex mutuatis Manuscripti Codicis verbis pro suo arbitrio cuderet, Chartamque corruptam ac suppositam publicis atque authenticis Monumentis infereret. Nullum itaque superest dubium, quin Charta prætacta ex ipso authographo Traditionis Instrumento accurate descripta & transumpta sit; ut adeoque eidem fides publica, quæ antiquissimis Chartulariis, & Recensionibus seu Notitiis publicis debetur, nullo modo denegari possit.

Reflexio II.

Datum hujus Chartæ expenditur.

Chartæ huic additur in Chartulario *Annus primus Nicolai Papæ*, qui electus fuit die 24. Aprilis anno 858. Diploma vero Authographum *Ludovici Regis*, quo confirmatur Rhenaugiæ Traditio Cellæ Albæ, datum est die vigesima Mensis Martii ejusdem anni 858. Unde sequi videtur, Confirmationem Regiam tempore priorem fuisse ipsa Cellæ Traditione.

Sed facile respondetur: Confirmationem Regiam non esse antiquiorem *ipsa Traditione*, esse tamen antiquiorem *ipsa Charta* hujus Traditionis, utpote quæ duobus circiter annis post factam Traditionem exarata fuit. Nec mirum hoc aut insolitum videbitur; si ad morem illius ævi reflectatur, quo sæpius *Traditiones* etiam *solemnnes* viva voce peragebantur, priusquam *Chartæ* desuper, aut *Notitiæ Publicæ* expedirentur, quarum exaratio nonnunquam dies & annos differebatur (f). Extant hujus rei plura exempla domestica, in *Chartis* nostris consignata. Talia occurrunt in *Traditione* Wolveni, in *Contractu* Gotzberti &c. Nam Wolveni Bonorum *Traditio* facta est ad finem anni 855.; *Charta* vero desuper data, & per testes subscripta est Ulmæ anno 858. Sic pariter *Contractus* inter *Gotzbertum* Comitem, postmodum *Abbatem* hujus nominis secundum, & *Wolvenum* Restauratorem nostrum, atque *Carolus Crassum* Ludovici Regis Filium contigit anno 872.; cujus tamen *Charta* primum anno 876. expedita est, in qua signanter dicitur: *Contractus quondam* initus &c. Tandem omnes præfati *Gotzberti* donationes, diversis quidem temporibus factæ, uno anno 892. *Chartis* publicis sunt consignatæ. Quid igitur obstat, quo minus idem ipsum in *Traditione* *Albæ Cellæ* factum sit? Nempe *Sigemarum* *Albam Cellam* anno 856. tradidit; *Regia* *Traditionis* *Confirmatio* anno 858. die 20. *Martii* accessit: denique *Charta* seu *Notitia* publica eodem anno post *Confirmationem* *Regiam* emanavit. Quod inde compertum est; quia *Confirmatio* *Regia* in *ipsa* *Charta* expressa est. Suadet hanc *chronotaxin* ipse ordo *Chartarum* nostri *Chartularii*; suadet & *ipsa* *Vita S. Fintani*: suadet insuper præfactum *Diploma* *Regis* *Ludovici*. Ex quibus merito concludimus, *Albam Cellam* anno 856. a *Sigemaro* traditam, & a *Wolveno* *Rhenaugiensi* *Tutore* hereditario acceptatam fuisse, dum hic cum *Reliquiis* *Sanctorum*, ac præcipue *S. Blasii* *Martyris* & *Episcopi* *Roma* *Rhenaugiam* reversus fuerat; quia *Wolvenus* paulo post *Monasticen* amplexus, unacum mundi crepundiis etiam nomen *Tutoris* abjecerat. Hoc pacto apposite salvantur omnes *chronologicæ* *Notæ* tum in *ipsa* *Traditione*, tum in *Traditionis* *Confirmatione*, tum etiam in *Charta* *Authentica*, seu *Publica* *Traditionis* *Notitia*; ut adeoque vere & erudite *Scriptor* *Chartularii* *Annum* *Primum* *Pontificatus* *Nicolai* subnotare potuerit, observato nimirum

tempore

(f) *Patres* *Congreg. S. Mauri* *Tom. I.* pag. 60. in *Notis*. Et §. 338. Item *T. VII.* §. 234. ubi specialiter agitur de *Notitiis* *Publicis*. *Abbas* *Gottwicensis* in *Prodr.* *Part. I.* pag. 186.



tempore Chartæ datæ, non autem Traditionis peractæ. Unde *Datum & Actum* in Chartis non semper sunt idem, sed sæpius separantur; quod optime norunt Critici, rei diplomaticæ studiosi.

Aliter quidem hanc difficultatem enodant, qui Diploma sæpe dictum Ludovici Regis ad annum sequentem 859. referunt, & Chartam Traditionis ante Diploma Confirmationis exaratam esse, putant. Ast huic sententiæ verba ipsius Chartæ adversantur; quæ *Cellam sub Confirmatione* traditam esse, testantur. Ergo Diploma præcessit, & Charta subsequuta fuit; quæ suapte natura in annum primum Nicolai Papæ incidit. Adhæc annus Ludovici Regis vigesimus sextus Franciæ orientalis, in Diplomate expressus, non convenit cum anno 859. bene vero cum anno præcedente 858. Etenim Ludovicus anno 833. Germaniam, seu orientalem Franciam occupaverat; & a die occupationis annum Regni sui primum numerabat; quo anno computato (uti necessario computari debet) annus 858. est Regni ejus vigesimus sextus, currebat pariter indictio VI., Diplomati apposita; quam huic anno etiam Pagius adstringit, licet primum mense Septembri incipiat, qui scrupulus a Notariis plerumque in Chartis non attendebatur. Sane Mabillonius in Annalibus Benedictinis refert ad eundem annum aliud Diploma tribus duntaxat diebus post nostrum a Ludovico datum, ac pariter Francofurti cum eadem Indictione, eodemque Regiminis anno signatum in Favorem Hildegardis suæ Filiæ, Abbatissæ Turicensis.

Reflexio III.

De Antiquitate Cellæ Albæ.

Ut verum fatear, ex tenore nostræ Chartæ certo definiri nequit, utrum Cella Alba ante Traditionem a Sigemaro factam extiterit, aut non extiterit. Proprietas tamen Sigemaro attributa, cum dicitur: *Cella Alba propria fuit cujusdam Viri Nobilis Sigemari*; eidem prærogativam Fundatoris adscribere videtur. Neque enim alio, quam Foundationis titulo Cellam Religiosam Viro Laico propriam fuisse, arbitramur. Idem suadet illius ævi consuetudo, vi cujus plerumque Cellæ, in exordio suo tenues & exiguæ, a Fundatoribus tradebantur Monasteriis in utraque substantia florescentibus, quale post *Primam* (g) Restaurationem certe

(g) Monasterium per intestinum Bellum inter Carolinos Principes *pene stirpatum*, sed per Wolvenum felicissime restauratum anno 851. Ex Archiv.


certe fuit Rhenaugia, prout inspicienti Vitam S. Fintani, Chartasque coevas lustranti ad oculum patet. Nisi ergo *Cellam Albam* ante *Sigemari Traditionem* jamjam floruisse, aliunde demonstraretur, eandem a Sigemaro & simul fundatam, & simul Rhenaugiæ traditam fuisse, dicendum est; antiquiorem namque existentiam asserenti incumbit probatio. Trutinemus igitur rationum pondera, quibus antiquior existentia probari solet; quæ ad sequentia capita reduci possunt.

Inprimis ex ipsa Traditione sequitur Cellæ Albæ existentia; nam tradi non potest, quod non existit. Deinde testantur Scriptores Domestici, jam a temporibus persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus in hasce Silvas Hercinias sese abdidisse Christianos, vitamque Religiosam, seu Eremiticam per plura Sæcula duxisse. Alii vero hujus antiquitatis Patroni eundem Eremitarum secessum ad Sæculum V. & ad tempora Attilæ, qui Germaniam Galliamque vastavit, reducere malunt. Additur testimonium *Jacobi Manlii* in Chronico Constantiensi (h), ubi asserit, ex Necrologio seu Martyrologio Sangallensi constare, quod *Erenfridus*, olim Augiæ Divitis Abbas, postea Constantiensis Episcopus jam anno 735. scripserit *Chronicon S. Blasii*; quod utique nullo modo scribere potuisset, nisi jam diu ante sua tempora extitisset *Alba Cella*, quæ postmodum *S. Blasii* nomen sortita est. His denique accessit *Bucelinus*, qui in Chronologia Constantiensi non solum ad annum 739. ejusdem *Chronici Monasterii S. Blasii* ab *Erenfrido* compositi meminit, sed etiam ad annum 801. a *S. Trudperti* Monachis Regulam S. Benedicti Sanblasianis traditam fuisse, contendit.

Hisce rationibus & testimoniis necdum satis demonstrata videtur vetustas Cellæ Albæ. Non enim negatur, extitisse Cellam, seu potius existere cœpisse, dum a Sigemaro simul fundata, simulque Rhenaugiæ tradita fuit; quemadmodum Monasterium Ochsenhusanum (i) a sua prima Fundatione adstrictum erat Congregationi *S. Blasii*. Sic quodlibet Monasterium extitit, id est, existere cœpit; dum fundatum fuit: non enim fuit, antequam fundatum; sed fundando factum est Monasterium. Potuit ergo Ochsenhusium a sua prima Fundatione incorporari *S. Blasio*; quid obstat, quod Cella Alba a sua prima Fundatione non potuerit tradi Rhenaugiensi Monasterio? Itaque non sequitur, illam Rhenaugia antiquio-

(h) Apud Pistor. inter *Ret. German. Script.* pag. 630.

(i) Celeberr. *Martinus Gerbert* in *Itinere Aleman.* verbo *Ochsenhusa* comparationem facit inter traditionem *Ochsenhusæ*, & *Cellæ Albæ*.



rem esse, sed potius contrarium probatur; mirum quippe foret, si Monasterium antiquissimum ac florentissimum recentiori Asceterio esset traditum, cujus rei nullum habetur exemplum: magis mirandum foret, si Sigemarum unacum suo Filio potius Rhenaugiæ, quam floridissimæ ac famosissimæ *Suxæ Cellæ* incorporari voluisset. Deinde fama illa de primis Anachoretis, quæ de aliis quoque Monasteriis (k) & nominatim de nostro Rhenaugiensi Monasterio circumfertur, a Viris eruditis merito exploditur; illi enim quærendi sunt in Ægypto aut Palæstina, non in Germania, cui lumen fidei serius illuxit, & ne quidem Sæculo V. ultra Rhenum radios emisit. Inter domesticos S. Blasii Scriptores sunt quidam antiqui, gravissimique Viri, ut *Bernoldus*, *Frowinus*, *Otto*; qui quamvis plurima de suo Monasterio scripserint, nullam tamen mentionem Eremitarum faciunt. Duo autem posterioris ævi Scriptores, videlicet Monachus *Anonymus* Sæculi XIV. & *Casparus* Abbas Sæculi XVI. non sunt idonei antiquitatum testes. Anonymus certe tot fabulis narrationes suas opplevit, ut neque apud Exteros, neque apud Indigenas fidem invenerit (l). Si enim ei credimus, diu ante Sæculum IX. S. Blasius hisce Eremitis apparuit; seque Patronum obtulit; tandem Regula S. Benedicti casu advolitantis picæ ab illis assumpta est. Ignorabat nempe, qua occasione *Cellæ Albæ* nomen in illud *S. Blasii* mutatum, & ipsa Cella Rhenaugiæ unita fuisset. Adhæc candide fatetur: *nesciri, quot anni, vel quantum temporis fluxerit, ex quo inhabitatus fuit locus iste tunc temporis vastus & horribilis*. Jam vero qua ratione posteri Sæculorum numerum definire pote-

(k) E. G. de Fischingenfi &c. De nostra autem Insula, olim invia & deserta, tradiderunt Majores nostri, quod tempore Persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus fuerit asylum periclitantium Christianorum; qui paulatim in Eremitas conversi, vitæ Cœnobiticæ præluserint; donec Sæculo VII. Eremitarum Tuguria in Monasterium excreverit. Augustinus Calmet in Diario Helvetico pag. 117. verbo *Rhinan* frequentia habet. Verosimile est, coloniam aliquam Monachorum ex Scotia vel aliunde, loci amœnitate illectam eo migrasse, vitamque primo *Eremiticam* aliquamdiu sub Patre vel Præposito, absque certa & fixa Regula duxisse, quorum bona conversatione commotus *Wolfehardus* Augiæ Dominus Monasterium condidit, quod deinde *S. Fintanus* ad veram cœnobiticam formam reformavit, & reparavit. Ita *Walafridus Strabo* in vita S. Othmari. *Et hæc quidem Eruditissimus Calmet.*

(l) Gallia Christiana T. V. pag. 1022. Princeps Martinus Gerbert Silv. Nig. T. I. pag. 74. ubi tantum ex hypothesi loquitur: *si tamen admittenda videatur ista de Eremitis traditio.*

poterunt; cum ille *annorum* numerum, & *temporis* initium se nescire fateatur, & alioquin incredibile videatur, a Sæculo V. usque ad Sæculum IX. Eremitas continua ferie illas sedes horridas inhabitasse? Siqua veritas in hac narratione lateat, facile adducor, ut credam, totam traditionem de Eremitis ad Reginbertum esse referendam; qui Sæculo X. Sanctus Eremita in Diplomate Ottoniano vocatur, de quo brevi plura.

Testimonium *Jacobi Manlii* nullum, imo falsum est, si dicit, ex Necrologio, aut Martyrologio Sangallensi constare, quod *Erenfridus* seu *Anastadius* Episcopus Constantiensis jam ineunte Sæculo VIII. Chronicon *S. Blasii* scripserit. Extat enim sanum & integrum illud Necrologium; extat etiam eidem adscriptus *Erenfridus* Episcopus: verum quod aliquod Chronicon, & quidem *S. Blasii* scripserit, nullo verbo indicatur (m). Imo nec ipse *Manlius* id dicere videtur, prout ex ipsius verbis dignoscitur, quæ sic sonant: *Erenfridus, alias Anastadius 13. (scilicet Episcopus) ut in Martyrologio S. Gallii liquet, Abbas fuit Monasterii Augiensis, & scripsit Chronicon Monasterii S. Blasii.* In his verbis *Manlius* duo dicit: primum est, hunc Episcopum simul fuisse Abbatem Augiensem, quod ex Necrologio *S. Galli* probat; in hoc enim Necrologio antiquo (non in contextu, sed ab initio Codicis) describuntur in pagina separata Episcopi Constantienses, atque notantur, qui simul fuere Abbates Augienses (n). Alterum est, hunc eundem *Erenfridum* scripsisse Chronicon Monasterii *S. Blasii*; quod unde didicerit, non refert, nec etiam ex Necrologiis Sangallensibus discere potuit.

Cæterum *Erenfridus* vixit ducentis circiter annis, priusquam nomen *S. Blasii* Cellæ Albæ tribueretur; unde potius Chronicon Cellæ Albæ, aut vitas quorundam Eremitarum scribere potuisset, quam *Chronicon Monasterii S. Blasii*. Posset quidem responderi, vocari Monasterium *S. Blasii* per prolepsin ex nomine postmodum adepti; at *Manlius* Sæculi XVI. Scriptor non est tantæ authoritatis, ut ei fides hoc in puncto adhiberi possit. Totum ipsius Chronicon Episcopatus Constantiensis, si excerpta ex *Guilimanno*, duo Diplomata, & *Vitas SS. Conradi & Gebhardi* demas, duabus vel tribus paginis constat, in quibus Notas potius volatiles, quam opus elimatum invenies. En! titulum a *Pistorio* præfixum: *Chronicon Episcopatus Constantiensis, inchoatum a Jacobo Manlio Brigantino*

X x x 3

(m) Ergo Prior Augiæ Divitis, apud Pezium T. I. Part. I. Col. 642. sublestam in hac re habet fidem; quam ei pariter negat *Murerus* in *Catalog. Episcop. Constant. Msc.*

(n) Ex Monumentis e *S. Gallo* Rhœnugiæ communicatis.



gantino Doctore, postea relictum veteri simplicitati, sed auctum ab alio bono Viro. Quis jam discernet, an ea, quæ de Chronico S. Blasii referuntur, sint ab alio bono Viro adjecta, an vero a Manlio veteri simplicitati relicta? Et quis ignorat, in ejusmodi adversariis sæpe adscribi plurima, ex quibus multa postmodum sunt rejicienda. Et sane rejecisset, si animum ad ea adjecisset, quæ ab ipsomet ex Chronico S. Blasii sæpius citantur, quæ tamen primum post fata *Erenfridi* contigisse, noscuntur.


Sic Manlius de Successore *Erenfridi*, Sidonio Episcopo scribit: „Idem Sidonius ante Altare S. Galli profluvio ventris obiit circa annum Domini 759. „imo secundum *Chronicam S. Blasii* eodem anno.“ Et paulo post: „Hermannus „Contractus scribit, eum ante Altare S. Galli vitam finivisse, qui secundum „*Chronicam S. Blasii Monasterii* anno incarnationi Verbi 746. in Episcopum electus est.“ De Joanne hujus nominis tertio hæc prosequitur: „secundum *Chronicam Monasterii S. Blasii* dictus Joannes Episcopus factus est anno Dñi 750.“ Quæ omnia post mortem *Erenfridi* contigerunt; de cujus tamen Continuatore pariter nihil compertum est. Fortassis Manlius citavit aliquod Chronicon ad S. Blasium pertinens, quo sensu etiam aliud Chronicon Augiæ Majoris protulit, scribens de Nothingo Episcopo: „Anno Dñi 920. fuit secundum *Chronicam Augiæ Majoris* „Comes de Feringen.“

Demus tamen aliquid amplius Manlio. Chronicon S. Blasii vocari potest, vel quod de gestis Monasterii S. Blasii tractet, vel quod ejus author, aut saltem scriptor fuerit Monachus S. Blasii, vel tandem quod liber aliquis Chronicarum pertinuerit ad Monasterium S. Blasii, ejusque nomen vel in fronte, vel a tergo gestaverit. Hoc ultimo modo facile omnis difficultas dispelli posset. Verum Manlius fortasse plus aliquid innuere, & Chronicon ab aliquo Sanblasiano scriptum, vel etiam de rebus S. Blasii tractans intelligi voluit. Superest tale aliquod Chronicon, quod ipsi Sanblasiani suum vocant, scriptum ab ejusdem Asceterii Monacho, & de rebus ipsius tractans; & hoc est, quod continetur in Manuscriptis antiquis Monasteriorum Murenfis & Engelbergensis, quæ attribuantur B. Frowino quondam S. Blasii Monacho, ac postmodum Engelbergensi Abbati. Hoc præcipua fata Monasterii S. Blasii refert, electiones & mortes Abbatum, ædificia constructa, dedicationes Ecclesiarum, Diplomata ab Imperatoribus concessa &c. Quæ insuper citantur a Manlio ex Chronico S. Blasii, & superius a nobis relata sunt, omnia in eodem Codiceveniuntur; in quo
Scripta

Scripta Reginonis, Hermanni Contracti, Berchtoldi Constantiensis, ac Bernoldi Monachi & Presbyteri S. Blasii exhibentur. Ex quibus conjicitur, cum hujus Codicis opus primum & ultimum sit Scriptoris S. Blasii, & de eodem Monasterio plurimum tractet, Manlium totum opus vocasse Chronicon S. Blasii.

Confirmatur conjectura ex quodam Codice Augiæ Divitis, qui manu Sæculi XI. continet etiam vitam S. Fintani nostri, quemque ex concessione Cardinalis de Rodt olim diu præ manibus habui. Huic in margine manu longe posteriore, Sæculi nempe XV. expirantis sequentia adjecta sunt (o). „Ex Chronica S. Blasii, Arnolfus genuit Angisum, genuit Pipinum, genuit Karolum, genuit Pipinum, genuit Karolomannum & Karolum Magnum, Karolus Magnus Imperator genuit Karolum, Pipinum & Ludovicum Imperatorem.“ Hæc ipsa porro Genealogia desumpta est ex suprascripto Manuscripto Murenfi seu Engelbergenfi; ubi post Chronicon Hermanni Contracti subjicitur continuatio Bertholdi Constantiensis, & *Bernoldi Presbyteri S. Blasii*, post cujus nomen pagina 768. sequentia leguntur: *De Generatione Sancti Arnulfi* & reliqua, quæ Compendio transcripta fuerunt in memoratum Codicem Augiensem cum dicto præfixo titulo: *Ex Chronica S. Blasii*. En Chronicon S. Blasii hætenus tam operose quæsitum! atque adeo necesse non est ad prætensum Chronicon *Erenfridi* Episcopi recurrere, cum jam constet, quale Chronicon S. Blasii in usu fuerit Manlio, & quodnam sub hoc nomine intelligatur. Fertur quidem extare *Stutgardie* Chronicon aliquod S. Blasii; verum procul dubio ejusdem conditionis erit, nempe scriptum vel descriptum a Monacho S. Blasii, continens gesta universalialia, prout excerpta docent, quæ omnino conveniunt cum Chronico *Wurtembergico* Sæculi XV. aut XVI. quod edidit Schannatus in *Vindiciis Litterariis*, adeoque nihil ad Chronicon particulare de Eremitis S. Blasii ante Sæculum VIII. conferre possunt.

Restat, ut de *Bucelini* testimonio pauca dicamus; qui in Chronologia Constantiensi ad annum 739. decantati Chronici ab *Erenfrido* scripti meminit. Quem dicit *Promotorem studiorum*, qui inter alia monumenta Chronicon Monasterii S. Blasii *Herciniæ* scripserit. Ad annum vero 801. immemor dictorum, *Heremitas* denuo in S. Blasio collocat, qui *Monasticam vitam*, & *Regulam S. Benedicti a S. Truperti Ascetis communicatam assumpsisse* videantur, quibus hucusque aliqui cæteris virtute præstantiores Prioris titulo præfuerint. Hæc retulisse, sufficere videtur ad fidem



dem dubiam reddendam. *Chronicon Erenfridi* Bucelinus ex Manlio hausit, cui plura pro more suo ex conjecturis addidit. Quod enim de S. Trutperti Ascetis affert, nulla autoritate fulcitur. Proximus quidem aliquanto Cellæ Albæ S. Trutperti Monasterium, quam Rhenaugia fuit; sed illius acta, quæ supersunt (p) nullum indicium præbent, de Regula in Cellam Albam propagata. Si certiora monumenta in S. Trutperto adessent, procul dubio comperta fuissent Bucelino, qui ibi Magistrum Novitiorum egit; sed cum solum dicat, *Videri Regulam* isthinc communicatam fuisse, prodit utique, se ipsum conjecturæ suæ non satis fidere. *Prioris* titulus, sicut & *Conversorum* seu Barbatorum status in Monasteriis usque ad Sæculum XI plane incognitus fuit. Si vera sit hæc S. Regulæ & Monastici Ordinis a S. Trutperto in Cellam Albam derivatio, cur Sigemar ejus Proprietarius non eam S. Trutperto tradidit, maxime si juxta nonnullos Colonia exinde deducta fuit? Verum tota ratio erroris in Bucelino fuit, quod Monumenta Rhenaugiensia ignorarit; quæ si scivisset, certiora haud dubie in lucem protulisset. Non igitur indigne ferant Eruditissimi S. Blasii Ascetæ, dum certiora Monumenta exigimus, priusquam Cellæ suæ existentiam Monasterio nostro antiquiorem concedamus; utpote qui plures, & nobis quidem valde favorabiles Nostratum Traditiones penitus rejicimus, ex hoc uno capite, quia easdem antiquis Monumentis destitutas cernimus. Et revera etiam in præsentē controversia gloria nostra immensum cresceret; si Monasterium, ante annos nongentos jam antiquissimum ac famosissimum, nobis incorporatum fuisset.

Reflexio IV.

De Situ Cellæ Albæ.

Cella, quæ intra montes Alpegovix a præterfluente torrente *Alba* dicebatur, nomen postmodum fortita est *S. Blasii*, ex translatione Reliquiarum ejusdem Sancti Episcopi & Martyris, quæ in eam facta est ex Monasterio Rhenaugiensi intra annos 860. & 878. vivente adhuc *S. Fintano*, prout in ejus vita legitur. Dubium porro haud ita pridem excitatum fuit, utrum Cella, quam sequente Sæculo X. Beatus *Reginbertus* inhabitavit, in eodem circiter loco sita fuerit, ubi olim steterat Cella Alba a Sigemaro Viro Nobili Rhenaugiæ tradita, & Reliquiis S. Blasii dudum nobilitata? Dubitationis hujus ratio esse potuit, quia in Diplomate Ottonis II. Monasterio S. Blasii anno 983. dato dicitur, quod *Reginbertus Sanctus Eremita*

(p) Ad calcem Genealogiæ Diplom. Herrgotti.

Eremita primus ibi habitare cœperit. Econtra Monumenta Rhenaugiensia in duplici Manuscripto Sæculi XI. nunc in unum volumen compacto, aperte docent, Cellam, quæ tunc, nempe Sæculo XI. dicebatur S. Blasii, eandem omnino esse, quæ mediante Sæculo IX. a Sigemaro Rhenaugiæ tradita fuerat: *Alba Cella, quæ nunc S. Blasii dicitur, videlicet propria fuit cujusdam Viri Nobilis nomine Sigemar, quam tradidit Rhenaugiæ &c.*

Huic difficultati satisfieri vix poterit, nisi dicendo, priorem illam Cellam interea quidem destructam, sed postea a Reginberto in eodem circiter loco noviter constructam fuisse; in qua ipse *primus* iterum habitare cœpit. Si enim hanc S. Blasii Cellam in alium prorsus transferimus locum, contradicimus Monumentis Rhenaugiensibus; quæ nomen duntaxat, non vero locum mutatum tradunt: si vero destructam negamus, vix dicere licebit, quod Reginbertus in priore loco *primus* habitare cœperit.

Concordat hæc Cellæ Albæ veteris destructio cum temporis illius historia; qua constat, *Hungaros*, quos ab Hunnis nonnulli derivant, anno 925. expilato Monasterio S. Galli, omnia loca ex utraque parte Laci Acroniani Rhenique fluminis usque ad Seconiam devastasse, ac præprimis Monasteriis inhiantes, in ipsam quoque Herciniam silvam penetrasse, neque solam *Rhenaugiam* in tractu Rheni, sed etiam Monasterium *S. Trutperti*, vicinius Cellæ Albæ, in nigra silva pessumdedisse: quousque ex altera Rheni ripa ab *Hirmengero* in Friconia turma Hungarorum deleta, reliqui ex Silva Nigra, prædis per navigia præmissis, secundo Rheno in Alfatiam migrarint. Certe Eckardus Junior Monachus S. Galli, qui hæc narrat (q) unam duntaxat Hungarorum turmam ex parte Friconiæ ab *Hirmengero* cæsam testatur, reliquis Hungaris Silvam Nigram ex altera Rheni parte vastantibus: *Iste (Hirmengerus) Turmam illam, quæ cis Renum nos quoque, a sociis, qui ultra Renum erant, disjuncta, invaserat, ita circumvenerat.* Testatur postremo Eckardus, Hungaros ex Silvæ Nigræ nemoribus naves fabricasse, quibus priores suas Legiones transponerent, & tandem ex ipsa Silva Nigra in Alfatiam migrasse: „Dum hæc fataguntur, inquit, navibus ungli de Schwarzwalde multis paratis in Alfatiam ipsi priores suas Legiones transponunt.“

Monachi

(q) Apud Goldast. Rer. Alem. Tom. V. Cap. V.



Monachi ex S. Gallo, & S. Trutperto aliisque Monasteriis profugi, post recessum Hungarorum ex latibulis ad sua Monasteria reversi, restaurare mox ruinas cœperunt. Quidni & Rhenaugienses Monachi, & eorum Confratres in Cella Alba expositi, idem ipsum facerent? Nempe procellis sedatis, ad gremium Matris confugiebant. Utraque enim tam Matre, quam Filia lethaliter fauciata, prius Matri quam Filix succurrendum erat (nam utrique eodem tempore remedium non suppetebat) & hinc Filiam sub ruina gementem per decem aut quindecim annos deserere cogebantur, ut Matri mederentur; quoadusque *Reginbertus*, inter Monachos Rhenaugienses hujus temporis in Catalogo S. Galli numeratus, in saltum Herciniæ, & locum Albæ Cellæ (quem probabiliter jam prius, a Rhenaugia expositus, incoluerat) cum Reliquiis S. Blasii se receperit, & non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, vitam solitariam per viginti aut plures annos transegerit, *primusque* ibi post vastationem habitare cœperit; interea socios collegerit, Cellam novam condiderit, atque anno 962. permittente S. *Conrado* Episcopo Constantiensi, & tunc Administratore Rhenaugiæ, cum consensu Fratrum, quem adhibere solebat, confirmationem libertatis ab Ottone I. Imperatore, impetrare fategerit. Mortuus tunc quidem ante expeditionem negotii est (r) Reginbertus; credibile tamen est, separationem Cellæ Albæ a Rhenaugia autoritate Cæsarea Ottonis Primi fuisse peractam, cujus unio pariter autoritate Regia quondam confirmata fuerat. Certe libertas Cellæ Albæ per Diploma Ottonis II. anno 983. asserta fuit.

Jam vero si, neglecta hac sententia, contendatur, quod locus, quem Reginbertus inhabitare cœpit, & ex quo hodiernum Principale Monasterium excrevit, prorsus sit alius a Cella Alba per Sigemarum Rhenaugiæ tradita, frustra gloriantur loci Incolæ de S. Blasii Reliquiis, tempore S. Fintani illuc translatis; frustra inclytum *Blasii* Nomen ab hac translatione derivant; frustra suam originem ultra Reginberti ætatem, qui *Primus* ibi habitare cœpit (s) protendant; frustranea quoque est prætenfa traditio de Eremitarum tuguriis in eodem loco

(r) Recentiores mortem Reginberti ponunt ad annum 964. sed Continuator Reginonis ad annum 962. addens: Missis etiam pro eo litteris ad Imperatorem reditum ipsius in palatio operiri jubetur.

(s) Ex Diplomate Ottonis II. supra citato.

loco quondam fixis; & ipsum nostræ *Cellæ Albæ* Nomen Reginberti domicilio non adhæfisset; cum tamen compertum sit, quod, licet a tempore Separationis factæ *S. Blasii* Nomen invaluerit, utrumque tamen Nomen sive *Albæ Cellæ*, sive *S. Blasii* a subsequētib; Scriptoribus eidem loco promiscue attributum fuerit. Nam ut taceam testem nostrum domesticum ex sæpe citato Manuscripto Sæculi XI. in quo disertis verbis asseritur: *Alba Cella*, quæ nunc *S. Blasii* dicitur: etiam luculentum hujus rei documentum adduco ex Scriptore Actorum Murensum, quem Sanblasiani suum dicunt fuisse Alumnum (t) adeoque de partium studio nullatenus suspectum. Hic enimvero de postulata e *S. Blasio* Farvensi disciplina ita scribit: „Contigit ut Fratres de *Cella S. Blasii*, que antea vocabatur *Alba* de fluvio, qui præterfluit, mutarent suam priorem consuetudinem (u).“ En utrumque nomen eidem loco datum. Et paucis interjectis: „sic ipse Comes (Wernerus de Habsburg) pergens ad supradictam *Cellam Albam*, „obtinuit ab Abbate illo, qui vocabatur Giselbertus, ut mitteret huc Fratres „suos.“ En iterum supradicta *Cella S. Blasii* hic uno nomine vocatur *Cella Alba*. Verum post modicum intervallum altero nomine *Cellæ S. Blasii* utitur: „Quod cum perfecissent, congregatis Principibus suis ac Ministris venit huc „(Wernerus Comes) in Vigilia *S. Martini*, unacum Giselberto Abbate de *Cella „S. Blasii* cum fratribus suis &c.“ Denique solam denuo *Cellam Albam* vocat, quam amplius auditam aut nominatam fuisse, nonnulli negant. „Et sic commendatis omnibus rebus Monasterii infra & extra Fratribus, qui huc de *Cella „Alba* venerunt, ab altari discessum est. Hec autem omnia facta sunt anno „MLXXXII. Dominice Incarnationis, Indictione V.“ En etiam Epocham expirantis Sæculi XI. quando utrumque nomen eidem Loco attributum est; quæ tamen ulterius extendenda est ad tempus, quo scripsit Actorum Murensum Author.

Hunc, & non alium locum inhabitare cœpit *S. Eremita Reginbertus*, qui posteris tam multa præclara de Eremitis ibi quondam habitantibus scribendi materiam præbuit. Profecto ipse Anonymus Sanblasianus eodem libro primo Constructionum *S. Blasii*, mentionem facit Reginberti, ubi de Eremitis *Cellæ*

Y y y 2

Albæ

(t) Rustenus Heer in Anonymo Murenfi denudato vult esse Conradum Bürglensem.

(u) Ex Actis Murenfibus ad calcem Vindiciarum Koppianarum. Pag. 21. 22. 23. & 24.



Albæ tam multa proloquitur; & ligneam eam habitationem, quam fecerunt Eremitæ, anno demum 1084. destructam fuisse libro secundo commemorat. *Reginbertum* supra ex nostris Rhenaugiensibus fuisse diximus, indicio Scripturæ coævæ Sæculi X. in Catalogo Fratrum Conscriptorum Sangallensis Monasterii, cujus Scripturæ ætatem confirmant ipsi Fratres & Sorores supra & infra ipsius nomen sub Ottone Abbate ad initium Sæculi XII. manu posteriore adscripti (w). Cognomen de *Seldenbüren* Reginberto sequioribus Sæculis attributum arbitror; cum Sæculo X. cognominum usus non invaluerit. Sane non Anonymus Scriptor S. Blasii hoc illi cognomen dedit; sed ejusdem Manuscripto postmodum Sæculo XV. ad marginem appositum fuit. Id fortasse factum, quod Sæculo XI. insignis quidam Benefactor Tigurinus ex Familia de *Seldenbüren* extitit, qui secundi Fundatoris præconium meruit. Unde controversia enata est, an duo vel unus tantum ejusdem nominis *Reginbertus de Seldenbüren* in S. Blasii floruerit? Verum secundi illius Benefactoris de *Seldenbüren* nomen proprium Hottinger Tigurinus (x) prodidit; quem *Henricum* vocat, quique Frater Germanus aut Cognatus fuerit *Conradi de Seldenbüren* Fundatoris Monasterii Engelbergensis. Hujus pronomen *Henrici*, ex defectu Instrumentorum oblitteratum, facile in illud Celebre *Reginberti* commutare potuit Anonymus Sanblasianus, ut eum utroque Sæculo X. & XI. produceret. Quapropter duæ personæ sub distinctis nominibus videntur adstruendæ; ut prior quidem *Reginbertus* sine Cognomine Eremita, Monachus, & Presbyter *Cellam Albam* seu *S. Blasii* in libertatem Sæculo X. vindicaverit: secundus vero *Henricus de Seldenbüren* præcipuus Benefactor Sæculo XI. supervenerit.

Hinc procul dubio factum est, quod in statuis & picturis (y) diverso habitu uterque compareat, Monachi scilicet & Presbyteri, nec non Militis &

(w) Mabillonius T. III. Annal. pag. 566. ad annum 963. perperam Rambertum ex Eremito Helvetiorum sub nomine Reginberti intelligit, ex mala interpretatione textus ex Actibus Murenfibus adducti; non enim Sanblasiani, sed Murenfes mutarunt suam consuetudinem, ab Eremitis Einsidensibus olim introductam, ut explicat Ægidius Tschudius in paraphrasi eorundem Actorum.

(x) Histor. Ecclesiast. Helv. Tom. IV. pag. 520. ad annum 1092.

(y) Videantur in Historia Silvæ Nigræ pag. 178.

& Sagati; quæ res mirifice torfit eos, qui unum duntaxat ex diverso nomine & cognomine compositum *Reginbertum de Seldenbieren* agnoscebant. Cuidam ex his Statuis casu brachium alterum deciderat; unde Anonymus occasionem fingendi sumpserat, quod Reginbertus Miles fuerit, atque sub Ottone I. in prælio contra Hungaros mutilatus fuerit; cum tamen antiquissima & Authographa Monumenta, eum & Eremitam, & Presbyterum, & Monachum fuisse doceant, & ubi talem effingunt, semper cum utroque brachio, imo etiam cum tonsura repræsentent. Illa igitur Statua potius erit *Henrici de Seldebieren*; nam recentiores effigies & inscriptiones non moramur. Unicum exemplum, ab antiquitate petitum, affert Mabillonius (z) quod ipse miratur, ubi Monachus habitu Militis, qualis olim fuerat, repræsentatur; ex quo tamen nullum argumentum ducitur, sed potius contrarium evincitur. Neque etiam antiquæ nostri S. Fintani imagines, licet & ipse prius militiam professus fuerit, alio quam Ecclesiastico habitu eundem exhibent; quamvis recentiores icones diversos ipsius vitæ status diversis figuris ac formis historice adumbrent.

Similis controversia agitata est de primo S. Blasii Abbate Beringero, quem quidam ad Sæculum X. alii ad XI. ponunt; nonnulli unum, alii duplicem dicunt. Chronicon Sanblasianum, in Monasterio Engelbergeni a B. Frowino scriptum, obitum *Weneri* Abbatis S. Blasii ad annum 1068. notat, cui numerum secundum (II.) superaddit, ad designandum, eum fuisse secundum, non quidem ejus nominis, de quo nihil constat, sed regiminis Abbatem a *Beringero*; cujus mors ad annum 1045. reponitur, quamvis alii eam ad superius Sæculum X. & ad annum 946. reducant, quando scilicet nequidem libertas per S. Reginbertum S. Blasio impetrata fuerat. Hunc *Beringerum* ex Rhenaugiensibus fuisse, similis conjectura est ex sæpe dicto Catalogo S. Galli. Reperitur enim ibi *Beringerus* sub Notkero Abbate nostro, qui anno 995. ab Ottone III. restitutionem bonorum, a tempore *S. Conradi* ab Episcopis Constantiensibus usurpatorum, per Diploma Authographum impetravit; ad quod factum respexit Anonymus Sanblasianus, dum ad re-

Y y 3

gimen

(z) Annalium Benedict. T. V. pag. 329.

(b) Die Zeit in Codice constantino anno 1108. pag. 8. v. 20.
(c) De Re Diplomat. Lib. III. cap. 7.



gimen ejusdem Ottonis III. sequentia scripsit (a): *Hujus temporis initiatus est locus Rinaugia, a quo etiam sumpserunt privilegia sua, ut docet calculatio sive descriptio Chronicarum.* Quo nomine forte intelligitur Chartularium aliquod Diplomatum Sanblasianis communicatum; quod nomine Chronicarum aliquando venire docet noster Mabillonius (b). Inter ista privilegia erat illud eligendi Abbatem; quo usi sunt Sanblasiani eligendo ex Rhenaugienfibus Abbatem *Beringerum*, cujus ætas cum illo, qui in Sangallensi Catalogo extat, apprime convenit. Fuerit enim Monachus Rhenaugiæ anno 995. potuit creari Abbas in S. Blasio post initium sequentis Sæculi, & illa peragere, quæ de illo ab Anonymo narrantur, qui inter alia ad annum 1036. refert: *Dedicatum est vetus Monasterium sub Beringero Patre.* Ejus obitus in Lapide Sepulchrali notatur ad III. Kal. Aprilis anno 1045. Et hæc quidem dicta sint de antiquissimo nexu Celeberrimi Monasterii S. Blasii cum Rhenaugia, cui Charta Sigemari dedit initium.



(a) Sic legi in Codice concremato anno 1768. pagina 8. averfa.

(b) De Re Diplom. Lib. III. cap. V.